





1. Michaelis / Joh. Georg / diff. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottl. / diff. de Genuina
vorum xarakter et ypostasi notione,
Lippie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de jesu Christo
vindice dogmatis de mortuorum ad
vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatria.
Lippie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines;
jena 1667.
6. Müller / phil. / diff. de regno Israelii restauran-
do, jena 1704.
7. Müller / phil. / diff. de regno Israelii restauran-
do, jena 1733.
8. Müller / phil. / diff. de Jesu Christo deandropo, jena
1704.
9. Müller / Cusp. Gottfr. / diff. de gloria
temporali mundi jena 1661.

10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23



m. 6

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
REGNO ISRAELIS
RESTAURANDO
Ad Actor. Cap. 1. vers. 6. 7. 8.

QVAM
DIVINA ADSPIRANTE AVRA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
OPTUMO IUVENTVTIS PRINCIPE
AC DOMINO

DOM. VVILHELMO HENRICO

DUCE SAXONIE, IULIACI, CLIVIE MONTIUM
AC RELIQUA.
PRÆSIDE

SVMME REVERENDO

DN. PHILIPPO MÜLLERO,

S.S. THEOL. DPROF. PUBL. ORD. CONSIL. ECCL. ET CON-
SIST. DUC. SAX. AD B. VIRG. MAGDEB. PRÆLATO, AC
TOTIUS UNIVERSITATIS SENIORE,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE MEO OMNI
OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDO,

IN ALMA SALANA

AD DIEM MAII A. O. R. MDCCIV.

publicæ disquisitioni submittit

IOH. HENR. zur Mühlen/Ravensb.

—
IENAE TYPIS NISIANIS EXCVDEBAT
HENRICVS BEYERVS.



DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

REINO ISRAELIS

RESTARTARANDO

AD AUCT. CAP. I. V. 2. 3.

QUAM

DIVINA ASSISTENTE SYRA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

ALMO INVENTIS PRINCIPALI

AC DOMINO

DOM. VILHELMO HENRICO

DUCE Saxonie, Viced. Olivae Montis

AC RENOVA

PRASIDE

IN SANNIA REINERDO

DI PHILIPPO MÜLLERO

AD HON. DROG. HON. CON. REG. ET CON.

AC SANNIAE RENOVAE REINERDO

TOTIUS UNIVERSITATIS HONORI

PATRONO, RECEPTORE AC DESPITE MEC OMNI

ORGANISANTE CURA PROPRIA

IN ALMA SALA

AD DIEM MARI 2. 1800

Publica Dispensatione

IOH. HEINR. JUNG. STEINHAUSEN

IN HAEC TYPIS HANNOIS EXCUDIT

HANNOIS 1800



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
HENRICO GUILIELMO

DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC
MONTIUM, ANGARIÆ ET WESTPHA-
LIÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPI HENNE-
BERGIÆ, COMITI MARCÆ, RAVENSBERGÆ,
SAYNÆ ET WITGENSTEINII, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN, &c. &c.

UNIVERSITATIS JENENSIS
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

*Principi ac Domino meo
clementissimo.*



SERENISSIME PRINCEPS
AC DOMINE

DOMINE CLEMENTISSIME.



Devotissimâ adhucdum mente,
volvo revolve, gratiosissimum,
quo semestri abhinc in Theolo-
gorum acroaterio publicè me be-
asti, aspectum. Irradiabat tunc
temporis exoptatissima Tua præsentia jucun-
dissimi Sideris instar eruditorum subsellia non
solùm, sed & universam Musarum sedem.
Gau-

Gaudebant Cives, plaudebant miseri, læta-
bantur divites, acclamabant subditi omnes. Ad-
stabant ubique, ut de adspectu Tanti PRIN-
CIPIS gloriandi esset locus. Concurrerant un-
dique, cùm DOMINE, Serenissima fronte Par-
nasum hunc primà vice inter sceptrà serena-
res. Et nunc in eo sunt toti ut, quando denuò
hùc accessum paras, idem peragant. Para-
tistant singuli, Purpuram Tuam certatim exo-
sculaturi, sceptrisque Tuis sese humillimè sub-
missuri, quippe de FAVORE ac CLEMENTIA
in bonarum artium Cultores singulari sat per-
suasi. Quorum numero cùm & ego quam-
vis minimus accensear, eò audaciæ sum ab-
reptus, ut hanc de REGNO ISRAELIS RESTAV-
RANDO Dissertationem lætissimo huic tempo-
ri accommodatam, CELSITATI TUÆ Sa-
cram esse optarem: quam, ceu tesseram sub-
jectissimæ venerationis, gratiosissimè suscipias,
est



est quod humillimè contendo, id juxta op-
tans, sinat JEHOVA SERENITATEM TV-
AM in Florem Acedemiæ nostræ perpetuum
nos ulterius venerari RECTOREM MAGNI-
FICENTISSIMVM, & quâ haud ita pridem,
nos dignata est clementissimâ præsentia, eâ-
dem nos beet quamprimùm,

Ita vobis

Subjectissimus ac Devotissimus
servus

IOH. HENR. zur Mühlen/Ravensb.



DE
REGNO ISRAELIS RESTAU-
RANDO.

Series argumenti.

S. I. Access. §. 1. motus §. 2. Status quæst. §. 3. S. II. Pro com-
muni Dd. §. 4. rationes §. 5. pro Secunda §. 6. Tertia omiffa §. 7.
istius ratio (1) §. 8. 9. 10. (2) §. 11. (3) §. 12. Exceptio ad pri-
mæ rationem (1) §. 13. (2) §. 14. (3) §. 15. (4) §. 16. (5)
§. 17. (6) §. 18. S. III. Assertio Communis §. 19. 20. Discus-
sio Secunda rationis (1) §. 21. (2) §. 22. (3) §. 23. 24. 25. 26.
27. 28. 29. 30. 31. (4) 32. Sect. IV. Primæ Vindicia rationum
(1) §. 33. (2) §. 34. (3) §. 35. (4) §. 36. (5) 37. (6) §. 38. Dd.
& Lutheri defensio §. 29. §. 40. 41. 42. 43. 44. Epil. 45. *Επι-
μνημονεύω* de Elisæi optione, Eliæ corpore, statu.

SECTIO I.

De Statu quæstionis.

§. I.



Icut S. Paulus *fideles crescere vult omni
parte θεωρησιας σωστικα, & Scrutinium
Isagogicum* commendat; ita ratio no-
stræ vicis & inchoamentorum longè
distantium à typo exempli ab-
soluti, ingerit istud studium sollici-
tis lectoribus. Non igitur alienæ
industriæ tam addictè mancipabi-
mur in sensu S. Scripturæ perqui-
rendo; ac si nefas foret pertentare principia & monumen-
ta Antecessorum, sed Pythagoricum *εξουδινω* obsequium,
ceu semper pueros & juratos in verba magistri, perpetuò
mirari. Quod ergo Seneca *Epist. ad Lucil.* de humanæ sa-
pi-

pientia æstimo in aliena autoritate censuit, etiam sese re-
 ctè sumere animos pronunciandi ad cognita, Id multo ju-
 stius idem Apostolus de Charismate suo, in comparatione
 ad Petrum & Consortes *Galat. c. I, n.* præ se fert. Simili,
 utut inæquali, libertate ad sui similes, Doctores in Eccle-
 sia Dei terendè. Unde Scholastica secta in docendo, ve-
 lut in illa Romani juris origine & successione prudentum,
 continuisve opinionum communium contra communes
 differentiis, invaluere. Nempe, persuasi sese usuros jure con-
 cesso, præferim seculo superiore inter altè minantes hinc &
 hinc scopulos Pontificia Autoritatis, consensus Patristici,
 Conciliaris & Academicæ Facultatis in decernendo, diutina
 observantia & præjudicati sensus. Cui veritatis dominio
 pridem ethnicus Stagirista Platonica decreta impugnaturus,
 manum porrexit in *Ethic.* malle ipsum proprias sententias
 subvertere, quàm veris adversari. Idem *περὶ ἀλλοτρίων*
ἔλλων D. Martinus Lutherus, in magnis ausibus veritatem
 Dei vindicandi & Ecclesie mores reformandi, & voce &
 monumentis immortalibus elucidandi S. Scripturam, hoc
 præ se tulit ac defendit sese. Is omnino vel hostium con-
 fessione, si quisquam, *περὶ ἀλλοτρίων*, ne more quorundam
 protruderet studia cruda in revelationem Dei sacrosanctam,
 inquisivit operosè in causas dictorum, & incommodè tra-
 dita circa Textum Biblicum, cum à Verforibus omnium
 temporum, tum contra abhorridas Interpretum & Docto-
 rum quantorumvis sententias, reducere in melius fate-
 git. Nec verò isto labore præjudicatum voluit successori-
 bus simili *φιλαλληθείας* curâ doctrinae idoneâ, in Ecclesie
 profectum enisuris: nedum ut ambigatur, superesse spici-
 legium, cui sensus exercitati illaborent, & gratiam indu-
 stria dignam mereantur.

§. II. Verum etiam *Temperies-Correctionum* quantumvis
 acutissimo cuivis cordi esto, semperque observator intentis
 censura, ut in dubio stetur probatis, ac cesset exagitatio
 aliena.

alienarum sententiarum, pruritus reformandi Seniores, Ducesque fideles constituendi: quò sæpe illicit ambitio, aliaque lues animi; nisi perpetuo Scepticismo jactari & certa tutave amittere malimus, donec usus evidenter arguerit. Hujus ingenii plura specimina hactenus noscitantur in curiosis nominis magni & factionum, subversum dogmata euntibus, ut in bicipiti Parnasso somniasse visi, carmina non prius audita virginibus puerisque cantent. Probabilitas ea sententiarum, quæ communiter vel à plurimis, vel multis, vel quibusdam, imò ab uno præcipui nominis sapiente, cum magna veritatis præsumtio sit Doctorum consensus, tantisper obtineto, donec errasse liquidò appareat.

§. III. Spectare id licet in explicatione dicti *Act. I, vers. 6, 7, 8.* de RESTAURATIONE PRÆSENTANEA REGNI ISRAELIS; de quâ piorum cœtus Salvatore incarnationis suæ Oeconomiam salutarem absoluturum & cœlos subiturum, cingens, sollicitè interrogabat, & responso commodo pacabatur, ne curiosius id rimarentur, sed expectarent affuturam intra paucos dies irradiationem Spiritus S. mirificam. Quo colloquio Lucas subinfert propositionem operis & transitum à fine Evangelii sui, ut Flacius *Gloss. b.* & alii bene observant. Constat non omnes agnovisse sensum huius loci eundem. Pars, *de Regno terreno*, quale tulerant Israelitici populi fata, sciscitatos. Alii, *de Novo illo Gratia Christiana ac Spirituali Regno* quaesitum. Nonnulli, *de Millenario* jam olim controverso actum esse contenderunt. Mereri videtur argumentum temporis nostro proprium, ut æstimeretur, *Satin causa subsit ut aliqui communem illam ejusque nominatos fautores deserant, imò aspera censura dejectum eant.* Certè ex quo invalescit cupido Lutheromastygum in sinu ejusdem Ecclesie, quales sibi in Papistico vulgo obvenisse superstes Lutherus querebatur.

SECTIO II.

De rationibus contra communem sententiam.

§. IV. I. Sententia, discipulos Christum percunctari de Regno, quale hæctenus populus Israeliticus bonis rebus suis habuerat, communis est, & è Veteribus Dd. Justinum Martyrem qui dicitur autor *29. 146.* Chrysoftomum *Hom. 2. in Acta p. 450. Tom. 3.* Bedam *b. p. 628. T. V.* Oecumenium *h. postea è nostris D. Lutherum Postill. Domest. T. VII. A. f. 582.* & alibi, Brentium *Hom. 2.* Flacium *b. n. 6.* Glossa Vinario-Jenens. *Bibl. Glos. Balduinum Hypomn. b. Gerhardum Harmon. h. p. 2257.* Joh. Tobiam Majorem *b. p. 10.* Erasnum Schmidium *b. Tribechovium Diss. Inaugural. cap. 2. n. 1.* Georgium Calixtum *b. ne notes è Pontificiis Salmeronem, Barradium, Cornel. à Lapide; è Reformatis, Belgicorum Bibliorum Glossatores, Calvinum, Bezam, Marloratum & alios, ita Socinianos Crellium & Wolzogenium, sectatores reperit.*

§ V. Rationibus nititur à D. Joh. Gerardo recensitis, nempe (1.) de *Theocratiâ* illâ Ebraicâ visibili & prius exercitâ, adeo de vulgò noto & jactato Regno Israelis cogitatum & rogatum esse; non de *Dei regno in specie dicto*, ob internum & externum ejus cultum per Messiam constituendo vel instaurando; sed de tali quale discipuli cum aliis Judæis ante, & post passionem Emauntici comites coxere animis, uti contra præsens jugum Romani, ut prius Herodici, Dominatûs. (2.) Ut in scholâ Pharisaicâ vulgò docti. (3.) Christum de Regno, Regno Dei, Regno Patris, Davidis, Israelis locutum, tale spectasse persuasi erant; Hinc (4.) Fratres Zebedæi *Matth. cap. 20, 21. ibid.* Episcopus, in isto captarant primas. Ac (5.) discipuli nondum pleni Spiritu S. & errore tali & pluribus dum videbantur duci.

§. VI.

§. VI. Diverſum ſenſum prætulere qui verba de Regno Gratia Evangelica Judæis primùm promiſſo, à Chriſto prædicato, ac poſt Chriſtum cœlo receptum mirificè efflorentè accipiunt, ac reſponſionem Domini hoc velle: *Sufficit vos antea induendos eſſe gratia & Spiritu S. ad plantandum illud regnum, de Tempore non ſitis ſolliciti.* Id innui à diſcipulis, Dd. Hülſemannus & Calovius credibile putant cum Heſychio *Epist. Auguſt. 79. Tom. 2. p. 346.* Huetio *Demonſtr. Evangel. Prop. 9. p. 622. ed. in 8. Camerone Myroth. p. 358.* ſed eo discrimine, ut opinio iſtis *credibilis* viſa, aliis *necceſſaria* audiat. Communem viciffim quæ dicitur Lutheri ut & ſequacium non ſatiſfacere, imò reſponſionem Chriſti reddere admodum ineptam, indignamve divinâ veritate fallere & falli neſciâ.

§. VII. Tertia opinio de Regno Millenario variè cogitato, jam intacta ſuis Autoribus relinquitur, & ſolùm duæ priores curam noſtram occupant.

§. VIII. Ac pro *Secunda* quorundam, *Prima* & communi detrahentium, rationes, ab Antecedentibus, Textu & Conſequentibus ductæ ſic concludunt:

I. De quo Regno Chriſtus per 40. dies poſt reſurrectionem, diſcipulos copioſè, luculenter ac plenius ad loca S. Scripturæ prius parum intellecta, adeo per univerſam Evangelii doctrinam, edocuerat, & nunc præbuit anſam interrogandi ſeſe, de hoc citato loco eſt interrogatus & reſpondit.

De Regno Gratia Chriſtus indicato tempore illo ac modo edocuerat diſcipulos, & præbuit anſam interrogandi ſeſe.

Ergo Chriſtus à Diſcipulis de Regno Gratia hoc *c. l.* eſt interrogatus & reſpondit.

§. IX. Huc trahuntur Antecedentia actum iſtum, quæ tale quid inſinuant, quod non niſi ut maximè neceſſarium Regni Gratia ſeu Spiritualis requiſitum potuiſſet ab iſtis diſcipulis etiamſi præoccupatis, per triennaleſe informationem

nem intelligi, nempe *promissionem Patris*, consistentem in Baptismo sive effusione Spiritus S. Ideo & de hoc Gratia Regno modo interrogari ac responderi.

§. X. Insuper additur: Discipulos esse eosdem ad quos dicta per triennium à Christo de Regno Gratia præsupponantur, & informatio luculenta per dies 40. de ejus instauratione accesserit, cum novissima confirmatione. Itaque eos non posse tam stupidos vel malitiosos credi, ut vel nequiverint vel noluerint Regni Gratia Instaurationem assequi, sed Mundanum Regnum etiamnum sint meditati & de hoc interrogarint.

§. XI. (2.) Afferunt id liquere è dicto ipso, quòd restitutio Regni Israelis, cum Restauratione Regni cum in se, tum in conceptu interrogantium coinciderit. In se quidem per loca *Es. 9, 6, 7. cap. 2, 1, 2. Jerem. 73, 14, 15. Dan. 2, 44. cap. 7, 14. Amos 9, 11.* idque ad Evangelicum N. T. intellectum *Luc. 1, 32. Act. 16, 16. Apoc. 11, 15. Paulinum Rom. 9, 6. 1. Cor. 10, 18. Gal. 6, 16. Ephes. 2, 12. Ebr. 8, 10.* Ac in conceptu Interrogantium per collata *Luc. 24, 45, 46, 47.* dicta.

§. XII. (3.) A Consequentibus dicti, nempe responso Christi, quod ad hanc de Regno Gratia mentem, sit omni parte commodum, nempe non esse discipulorum, adeò exactè scire hoc tempus divinæ conversionis, sed ipsis debere sufficere, ut sciant quòd post paucos dies accepturi sint Spiritum S. ac testes Domino futuri; non tamen sollicitos esse debere quo cum effectu id foret. Hæc illi, à quibus, reliquos sensus de *Mundano* Regno incommodos, sese cruciantes, & in Christum injurios esse contenditur. Ut tales eversum eunt, ac ad rationes pro *communi*, earumve *Primam* dicunt, *Negari Minorem*, nempe aliud regnum spectari in hac questione, quam *Dei illud*, cum sint unum idemque regnum de quo jam quarant, & *Dei* per loca §. XI. citata.

§. XIV,

§. XIII. Ad secundam excipitur *Neg. Major.* non n. discipulos five Apostolos pro tempore tam rudes fuisse, ceu Emauticos, utpote qui nondum 40. dierum doctrina exculti fuerint; eo nec istos, in hoc momento abitus, quaeruisse de *Mundano.* Sic negari & *Minorem*: *disparem* enim dari statum & sensum horum discipulorum, omnium pro tempore, à priori ignorantia, ne dicatur, *Qualis tunc, talis nunc.* Ut *Act. VIII, 31.* Æthiops è brevi doctrina Philippi, Esaiam paulo ante obscurum pervidebat.

§. XIV. Ad tertiam *R. limitando Majorem*, nempe qui solum ac semper Pharif. Scholam secuti. Sic *Minorem* negant, hos enim *sciscitatores* à Christo rectius edoctos fuisse.

XV. Ad quartam *R. Neg. Min.* Nec enim de *Regno in Genere*, sed de *Dei regno* auditum, quod nempe non esset de hoc mundo. E. nostros *Gratiae regnum* agnovisse rogando.

§. XVI. Ad quintam *R. Neg. Major.* Non enim qualis rogatio & repulsa fratrum Zebedæorum fuit, talem & h. l. militasse. Quidni? heic enim de *Tempore solo* regni restaurandi, ibi de *Facto alio* agi: heic nil directè responsum, ibi directè negatum esse.

§. XVII. Ad sextam *R. Neg. Maj.* Utpote à *diversis* illatam sic Petrus *Gal. II, 11.* dicitur errasse, non tamen & in regno *Gratiae* agnoscendo. Negatur & *Minor de presentè* talis status ignorantia, cui per 40. dies abunde consultum fuerit.

SECTIO III.

De Rationum vi in alter- utrum.

§. XIX. Verum nos nulla dum necessitas per adducta demovet *Communi sententiâ*, five autores opinionum *invi-
cem*

cem componas, five personas Christum audire & rogare, visas, five negotium de quo agi jam creditum est. Una objecti Regni, nempe *talis* Regisque, & incomprehensibilitas ad captum Creaturæ, præsertim tali imbecillitate affectæ in agnitione rerum cœlestium & angelorum captu altiorum, undique resistit illaturo aliquid amplius, quàm conditio rerum & hominum istorum finit. Ut maximè quis hoc objectum exactè declaret alicui, & hic diu auscultet, fidemque dictorum concipere satis possit; hic tamen nondum is typus negotii indubiè habetur impressus auditori, qualis à docente intenditur. Nec ab esse reali ad cognitum, à tertii nempe Doctoris opera ad discipuli profectum & statum congruum; ab uno melius edoceri viso ad assimilés, nisi ambiguè colligitur. Forma non recipitur nisi in disposito. Animus nondum eò elevatur Spiritu Dei, quò evehctus esse debet, si illum Magnalia Dei ipsa capere velis, stupet hebetque nihilominus, ut de naturali captu hominis S. Paulus, imo Salvator demonstrat, *ipsum non sustinere sua dogmata* questus, nondum sapere ad tot declarationes; adeo totum successum in suorum intellectu reservat futuræ Spiritus S. elevationi. Ponderis nempe naturæ torpidæ sibi relicta, vitæ consuetudo & species rerum, quæ nominantur, vulgo obviæ & gratiosæ, facile arcent, conceptus altioris & obscurioris incepti, ne penetrent. Certè ad quod humana Ratio sibi relicta, vel & Gratia sanctificantis auxiliis nonnihil aucta, nedum si ministrantia, deforent, identidem titubat, nutat, dilabitur.

§. XIX. Jam expende Propositiones pro illo *Gratie Regno*, quod in præsentem Interrogationem deductum esse contenditur. Eccui *Prima* sat probabilis, nedum redarguendæ communi doctrinae sufficiens videri potest? Ab triennali quidem & 40. dierum doctrina, ab ansa prudenter interrogandi præbita, ad certum hunc quæstionis sensum N. V. C.

XX. Quam

§. XX. Quàm evidenter, quantisve miraculis ostenderat Christus suis officii sui indolem, finem & usum, quàmve spe fideles sui rectè ducerentur? Sed isti quàm inepti ad hanc lyram, quove Catone digni habebantur, ut increpiti audirent *stupidi*, non potentes ferre seu capere, Domini gratissima promissa, eaque dilata ad Paracliti adventum: illi è forte hominum quos *I. Cor. I, 2.* S. Paulus notabat, nil Spiritus & Regni gratiæ intelligere, sed hoc pro stultitia scandalove ducere? Compara sis imperitè dicta & interrogata Thomæ, Philippi, Judæ Petrique, paulo ante & post institutionem: etiam observa cæca præjudicia ad Evangelium resuscitati Domini, visis exuviis *Job. XX, v. 4. ad 10.* Petrus, & ipse Johannes Christo tam prædilectus, ut sese heic *v. 2 4. 8.* designat, credidit querulæ femina, sublatum esse corpus, seque mox erroris arguit: *Non-dum novisse*, seu intellexisse *Scripturam* de resurrectione Domini. Uti, paulo post suam *ἀνάστασις*, increpat *incredulitatem omnium*, sub ipso termino elevationis ad superna. I nunc, & à *Posse* ad *Esse*, à præbita occasione rectè interrogandi, ad *Factum* rectæ & de Gratia Regno formatae interrogationis conclude. Imò, cum Dominus hanc talem suorum intelligentiam suspenderit à *Paracliti presentia*, & hac data, prædixerit, *nec locum fore Interrogationi tali* in animis fatis jam *ἀποθνήσκουσιν* perfusis salutari notitiâ Regni gratiæ: Ergo, nec potuisse pro tempore rectè scitari tales de tali negotio, consentaneum est. Quid, quòd dispersi per Stephani cadem confessores, in Syria Evangelium solis Judæis proponebant *Act. II, 19.* ac Petrus ipse tanto jam lumine plenus, non semel hæsitavit & impegit in vocatione sua, tam luculenta de Regni ejus cognitione & instauratione, quidnam sui esset officii, quinam subditi & cives, quove jure mactandi essent; adeo ut extraordinariam Dei & dein Paulinam censuram incurreret *Act. X, 11. Gal. II.*

§. XXI. Notare simul possis, cur contradictor omiserit Christi afflatum ante ascensum ejus Jobi 20. 21. unde speciosius inferret interrogationis venditatz inventum. Sed nec iste afflatus, nisi potentiam primam & prodromum implementi tam salutaris præbuit: Ut simul meminissent fideles, quam verè Spiritus S. & jam à Christo procederet suoque beneficio ad ipsos perveniret, idem planè cum eo qui in Feriis Pentecostalibus occupârat singulos.

§. XXII. Nec *Secundum* argumentum §. 9. plus veri habet; antecedentium Christi dictorum vim jam notavimus, quam parum penetrârît in animos. Imò *Non factò* accedit *Impotentia faciendi*, naturæ sibi relictæ genuina, ac solâ Spiritus S. præsentia, illâ demum Christo elevato efficaci futurâ, possibilis. Quo ipso incassum contenditur, interrogationem discipulorum h. l. *proprie* ad regnum gratiæ spectare. Facies radiosa, ut majores ipsorum illa Mosis, intuitos nostros adhucdum stringebat, ut nil perspicerent, quidnam dicta sibi vellent: donec eadem lux ipsis intrinseca, foret & effulgeret velut sol è cælo suo; unde mutua coruscatio faciem Christi tolerabilem faceret, & regni universi felicitatem plenè serenaret. Plenè enim subjectari debet formæ tali anima, quam velis liquido inspicere, & inspecta Magnalia Dei profiteri. Imò vel hoc dato viatoris cognitio lapsat, & interceptui exposita est; nec obstat Johannea *unctorum πνεύματα* Ep. 1. C. 2. v. 27. quos serio monet, ut maneat in eo statu, si velint servari v. 27. 28.

§. XXIII. Nec *Tertia* causatio §. 10. infert meliora: quid enim Christus præstiterit reipsa penes eos, curve non profecerint hactenus doctrinâ tam luculentâ de Regno Dei, jam indicavimus: Unde stuporem in ipsis nondum solutum nolimus mirari, aut perfectiores effingere quam res loquitur, ceu dememores Naturæ funditus corruptæ 1. Cor. 1. 2. De *malitiâ* verò talium hominum cogitare sædum sit. Esto verò paullo propius accessisse tunc aliquos ipsorum,

præ-

præsertim Apostolos, ad notitiam tam salutaris status, sicut *gradus* humani sensus & intellectus ad idem objectum variant, ut, si è tenebris profundis in umbram, ex istâ in crepusculum penetremus, ut rem confusè speculemur: Eo tamen facto num & singuli ita & distinctâ notitiâ ac æqualiter potimur protenus? aut an solemus pro rei indole prudenter sciscitari de ejus affectionibus, tempore, usu &c. ? Concedamus, Comites Emauticos illâ Domini doctrinâ non paulò cultiores & firmiores redditos aliis; & fidem Resurrectionis feminis piissimis protenus infedisse. An inde verò & *ipsum Gratia Regnum* animis, pro eo ac necessum est, illuxit, ut ceu de jam cognito commodè interrogarent Christum? Imò nostros Christianos compara, quàm isti nil de pristino Dominatu & statu, qualem Judæi amplexi erant, opinati, de Christi Regno totâ vitâ privatim ac publicè edocti, hebescant, & speciem ad veram interrogationem de Regno Christi gratioso prærequisitam necdum complexi sint? Vel in humanis *appongia diavolus* adeo defigit homines, ut assurgere ad rationis sanæ dictamina perarduum sit plerisque. Absurditatis quidem rea fit omnis pro talibus argumentatio, eum, cui quidpiam insinuaturn multâ doctrinâ, ut maximè necessarium ad destinata, hoc facto & edoceri, percoli, moveri, ad id distinctè noscendum, expetendum, quod & quomodò doctor ejus percipi & expeti velit. Quo ipso primò *Subjectum* sive personæ interrogantes paulò propius inspicere debuerunt, ab ejus enim conditione prædicata talia pendent, tribui an denegari par sit. In Historia Lucæ dicuntur illi, qui congregati & præsto erant Christo cælos petituro. Hinc erant *Apostoli Soli*, an & alii? Cerrè & alii, nam 120. eorum deinde primitias Spiritus S. accepere, & S. Paulus sub habitu Christi 500. fratres adstituisse 1. Cor. 15. 6. refert. Quos spectatores, tacentibus Apostolis, Dominum sic percunctatos quid obstat? Curve neges, hisce defuisse tantam de Regno Christi notitiam, quanta Apostoli jam tunc polluerent

ère? Certè cum Thomas, Philippus, Judas, Christum improvidè interpellarent in hoc negotio *Joh. 14, 5, 6, 22, 23.* Petrus meliora inspiratione Dei Patris edoctus *Math. 16, 16, 17.* nil intercesserit.

§. XXIV. Non igitur ausit quis decernere: præsuppositâ illâ quadragenariâ Christi institutione; discipulos *hoc*, quod litera simplex innuit, *Regnum* indigitasse sua interrogatione, & solùm de *initio* ejus interrogâsse. Imò *simplex* litera nondum innuit *regnum caele*; sed quale homines *ὁμοῦ φησὶ* communi de Regno præcipiunt animis, & discipuli, certè & ipsi Judaici ortus in communi patriâ, suæ fortis miseræ pertæsi, hæctenus coquebant secum, ut Zebedæani fratres prensabant prærogativam, & collegas æmulos irritabant. Neque inde existimari possêt, ipsos aliud, nempe Gratia, ultra omnem captum humanum positum, indigitasse, & ejusdem diem rimatos esse h. l. Jam notavimus, ut hodiernum Christiani plerique, ad clarissimas doctrinas, id Regnum ad genium vitæ communis sensumve privatum, comparent: quos verò non ausis mox proterere, aut malitiosos proclamare. Sanè impotentia talis nomen vimque suam infert, ne *posse* dicantur, ut correptio Domini *Math. XV. 17. C. XVI. 9, 22, 23. Luc. XIIX. 34. & Joh. XV. 9, 10. Judæ v. 22.* Christum excitabant, ut placidè argueret eos oscitantia; quâ culti tot annorum institutis & documentis, necdum eatenus profecissent, *quis ipse, quis Pater esset, quo tenderent* ejus Incarnatio, Baptismus, officium, conciones, miracula. Unde Petrum qui ipsum *DEI Filium* professus erat *Math. XVI. 15, 16.* prædicat *beatum*, cui non *caro & sanguis* hoc revelârit, sed *Pater cælestis*. Quod momentum lucis brevi disparuisse in Petro, ejus succedanei lapsus nimis docent: unde *cap. eodem v. 22, 23* ut *Satan*, non quid *DEI* sed quid *hominum* fuerit, *sapere* visus, acerrimè increpatur.

§. XXV.

§. XXV. (3) Nec è dicto ipso ceu §. XVI. jaëtatur plus elicietur, ac si Regni *Israelis* Restitutio cum Restauratio-
næ Regni *Gratia C.* cum in se, tum in conceptu interrogan-
tium coinciderit. Pone sis, Prius colligi per loca S. Scri-
pturæ citata; colligi, inquam; nec enim *in vobis*; & tam eviden-
ter in singulis elucescit, ut identitatem notionis utriusque
plenam, ac Regnum Dei ut sic, Regno gratiæ, Genus spe-
ciei, speciem à Te præconceptam, speciei à sciscitantibus
in verbis his intentæ æquipollere protenus agnoscas. Ea
omninò varietas notionis & conceptuum in subjectis inæ-
qualiter affectis peperit dñsensum tot Interpretum recentio-
rum, ut plures cum *Luthero* intenderent significatui famo-
siori, maximè *Judæi*, è quibus erant discipuli, homines
sanè legis profunditatum parum gnari, ut plebeji, piscatores
Aëtior. IV. 10. in Synedrio rectè existimabantur. Nec alius
iis sensus mox adfuit ad testes resurrectionis omni exceptio-
ne majores, & ad ipsius aspectum desideratum *Marc. XVI. 11,*
13, 14. Tantum interest, quidnam doctrina per se suggerat,
& quàm dispositæ menti infundatur.

§. XXVI. Opinio quoque, quod hæc notiones fuerint
in conceptu interrogantium *Synonymæ*, neutiquam confir-
matur è declaratione locorum aliquot S. Scripturæ V. T.
cum loci tales & locorum declaratio genuina nondum in-
ferant, quòd illi & hæc simul extiterint, & valuerint in a-
nimis sciscitantium, ut sic interrogarent, sed unum id *Chri-
stum hunc esse Jesum suum*, ac pro *resuscitato* è mortuis habèn-
dum.

§. XXVII. Gratis plane dicitur, discipulos eadem di-
cta tunc verè, i. e. plenè, ac ut deinceps *Spiritu S. persuasi* vide-
bantur sapere, intellexisse. Nam (1.) *Interrogantes* h. l. non
sunt *Soli Apostoli*, quos tacuisse probabile fit. (2.) *Intellectus*
dictorum non est *aqualis* in tot ingeniis; ac ut omnes *con-
fusi* tenuerint, dicta sacra V. T. innuere *Regnum Dei*, è ximi-
um à communi & terreno, plura tamen requiruntur ad id,

ut unusquisque tantam rem *plene, penitus & clarè* perspexerit, ut secum terminaret eam cognitionem, qualis desiderabatur *pro tempore*, eamve *αληθοφωγίαν* spei subfuisse, ut satis conscios edoctosque sic interrogasse pateat, id quod *Luc. XXIV. 45, 46, 47.* refertur de Christi explicatione. Habet o sanè rationem *summariæ* expositionis, *idonea* in animis dispositis ad fidem *plenam*: sed inde nondum inferitur *habituális* notitia de statu & regno gratiæ, cum *impetu debito* amplexandi revelata, qualis in Actis *c. 2.* erupit. Laborabant miseri infirmitate, assimili eorum qui *Job. 6, 16.* notantur, ac *Cap. VIII. 30, 31. seqq.* ubi prædicantur Iudæi ut *credentes*, sed moniti, ut *perseverent* in spe veritatis liberatrici, nesciunt eam rationem *salubriter* agnoscere, sed disceptant cum Domino *v. 33.* & in progressu corrumpunt bona in *feinitia*.

§. XXVIII. Id quod vel in rebus rationi subiectis instructio quotidiana ostendit: ut ut maximâ perspicuitate proponas notiones & res notatas, ac Auditor videatur dicta satis assequi: at quantum deest ad *perfectam* intelligentiam eorum, ad applicationem *totius* voluntatis, ut dici is possit *scire, persequi, tueri*, pro eo ac par est, cum *experiri* jubetur.

§. XXIX. Ut aliis sensus Christiani responsi sit hic: *Ne sitis tantoperè solliciti de temporum articulis restitutioni regni Israelitici destinatis. Vestra enim res non est, ista scire. Quin potius hoc considerate, vos accepturos Sp. S. qui notitiam rerum ad salutem vestram aliarumque necessariorum utiliumque abundè suppeditabit, ac loco regni cuiusdam vobis erit, & quidem longe præstantioris & melioris, quàm vos mente voluitis; nempe virtutem Spiritus S. quâ macti de me non in Judæa modò, sed & toto terrarum orbe, inter ipsos gentiles, testabimini, quis sim, quæ quantave universis mortalibus pepererim. Id Apostolorum somnium vocat *Flavius b.* & primo *Negativo* re-*

spon.

sponso, elenchico *προσηλας* & curiositatis illicitæ, dein affirmativo pædètico correctum ostendit.

§. XXX. Semper quoque desideratur in tam sublimi opere medium altius idque ordinarium, Gratia nempe *infusa*, qualis quantave in Synodo illa *Act. c. 2.* simplicita corda replebat, ad captum magnalium Dei & fervorem sanctitatis debitum. Sanè S. Paulus in *Actis* & *Epistolis* pluries contestatur, quàm accuratè & plenè explicarit auditoribus voluntatem Dei universam, & per S. Scripturam confirmarit. Queritur nihilominus surdis se cecinisse ac operam lusisse *Act. c. XXVIII, 22. 29.* exemplo Christi, & Galatas ideò asperè increpat *C. III, 1.*

§. XXXI. Nec verò habet quis cur specie *consequen-
tium* exagitet sententiam communem, velut *sui cruciatricem*, imò *injuriam in Christum*. Hoc tam audacter impingere, tot piis & veri studiosis viris, eccujus ingenii, animique consortium fidei professi, dixerimus? Utut enim Christus curiosis de articulo temporis, quo sese fit ostensurus Regem in gente Patria, non videatur liquidò respondisse; sed solum represisse scrutinium *temporis* illicitum: nondum tamen *subjectum questionis* ex adverso venditatum, seu *regnum Gratia*, quale quidem designari volunt, secundum propriam indolem à respondente Domino ibi declaratum esse dixerit. Glossa illa, *questum esse, num illo ipso effusionis Spiritus S. momento Israelis Regnum quoque sit restaurandum?* id est, ut tales *Hebræi* amarunt, *an Judæi sint ad Ecclesiam Christi perventuri, & gentiles iisdem jungendi?* dicetur pramatura & temeraria; vel ipso S. Petri exemplo qui de gentilium adscitu ad *gratiam Christi* & convictu, pro convertendis tantopere ambigebat *Act. X.* ac proximo facto Fidelium è Judæis, cum ipso exoptulantium quid ita ingressus ad *Gentiles* convixisset ipsis *Act. XI,* & repetito specimine in Petro Antiochiæ, ignorantie & infirmitatis stupendæ in Principe Apostolorum, Pauli subsidio restituendo *Gal. 2, tot.* Imò maximæ par-

C

tis

tis Converterum Hierosolymis, donec, synodo coactâ & re sollicitè inspectâ, Petrus & Jacobus in medium confulerent *Act. XV.* Pauloque ac Barnabæ assisterent.

§. XXXII. Adeò dubium, sic ineptè à Christo responsum esse, locum non invenit. Sicut ipse pridem comprimebat suos regnaturientes generali interdicto, ut quieti expectarent, superioris incepta; perinde eum & heic fecisse quid repugnat? quæve suspicio subest, an hoc responsum esse responsum? aut taxetur ejus oratio *Joh. VIII, 25.* varîe tentata? *conf. Calov. ad Grot. notas.* Temeritas Interrogantis non ligat prudentiam Respondentis; ut cuius suum errorem prodenti, demonente Salomone, quales Regno inhiabant miseri, & ei velut isto momento affuturo, ostensum est. Certè post agnitam Domini *ἀγάπην* mirandam, cui reliqua cuncta, mox cessura spes erat; sed hoc quâ generalitate notabant, eâdem Christus transmisit. *Tempus* incivilter rimatos modestiæ admonuisse, simul spei bonæ certos & imminentis successus utilium ipsis rerum plenos reddidisse, satis visum. Quis jam *cruciatu* sententiæ, nedum quæ alicujus injuriæ in Christum nota in communi doctrina ostenderetur, si hic pauciora, ac salutaria ipsis consilio summo responderit, quam prurientes improvidè rogarent?

SECTIO IV.

De Vindiciis Rationum & Dd. pro communi.

§. XXXIII. Ex his non ægrè vindicantur a. *Rationes pro communi sententia n. 12. 13. 14. 15. 16. 17.* *lancesitæ* verius quàm dissipatæ. Puta *Prima*; cum nil sequatur à debito vel mediis externis notionem Regni Israël *rectè concipiendi*, ad
fa-

factum ipsum bene vel male conceptæ, uti nec identitas sit vel specifica, vel summa Regni de quo heic quæsitum esse contendunt alteri, cum Regno Dei præcisè accepto. Nec dicta n. 10. citata huc faciunt; non enim tam quæritur quid ea singulatim in serie sua per sensum literalem importent, quam quisnam de ipsis conceptus duxerit nostros sciscitatores.

§. XXXIV. In Secunda Major perperam negatur, cum necdum probetur diversus habitus animorum in hisce sciscitatoribus, quam qualis per dicta liquet; inde non protenus inferri, quod quis doctrinam aliquam satis sit animo complexus, quæ ipsi debite fuit instillata. Nec sapientia æthiopsis repentina è sola Philippi expositione, sed è gratia illa Christi sanctificante orta est, & maturata ut Ecclesia mox propagaretur per ipsum conversum, nisi malis prolabi in Naturalismum quem abhorres.

§. XXXV. Tertia Major perinde prævalet. Et carnalis illa rationis persuasio, & accessoria obfirmatio doctrinæ omninò impedit conceptum necessarium boni commendati. Sic incassum limitatur propositio per τὸ solum & semper Phariseos audisse, & novum e. c. per Christianæ melioris interventum; hinc enim tantisper inefficax dicetur, donec intellectui auxilium gratia elevantis subvenerit.

§. XXXVI. Quarta Major dum obtinet, Minoris inficiatio, parum procedet. Licet audierim, Christum, regnum suum non esse de hoc mundo, prædicasse, & de ejus adventu & statu, donec tamen defuit gratia S. Spiritûs in veritatem universam ejus ducens, πῶς οὐκ non cessat, ut exempla docuere.

§. XXXVII. Quinta Major eatenus perstat convenientiâ apertâ ambitus Fratrum Zebedæorum ad hos scitatores: quomodo utrique versarent animis Regnum Potentiæ. Cui nihil obstat, istos fortune, hos ejus cognationi intendisse, quæ sanè sine illa non concipitur.

§. XXXIIX. *Sexta* cura jam olim exercuit Papalis Cathedralæ capita, ne Petrus videretur tantoperè aberrasse. Sed Paulus causam ejus jam antè præjudicavit, & reus sibi ipsi, in specimine intellectûs post Christum Redivivum. Præstiterit adeò, agnoscere infirmitatem nostram, ut sine Dei lumine nihil sit in homine, & thesaurum hunc in testaceis vasis conditum sollicitè custodire, ne ignis ille sanctus alieno fumo erraticæ flammæ turberetur, ut S. Johannes d. Ep. I. c. 2. Apoc. II. tam sollicitè monet.

§. XXXIX. Colligere jam licet II. quâ specie veri ac juris, in Lutherum & alios sententiæ communis assertores tam contemtim & asperè procedatur, ut, cum specie *πρὸς πῖπλῆ-
ξως* (1.) ad ipsum Lutheri nomen, (ac si ejus una & singularis fuisset opinio) dicitur, quòd patiamur nos denominari Lutheranos Discretionis gratiâ, nomine neutiquam Magisteriali, sed ministeriali tantùm seu Confessionis. (2.) Nos Lutheri literas non ut Canonicas habere, sed juxta S. Augustini Censuram de Cypriano. (3.) Sibi verioris sententiæ amplexum non interclusum, Lutheri dicto præprimis, cum tali Polygrapho, qualis D. Lutherus fuerit, ejus ferè omnia extemporanea sint, ejusmodi quid facillè accidere possit.

§. XL. Enimverò tam contemtim in Lutherum vel infensi hostes ejus agere vix sunt ausi, nec tot insignibus ejus sententiæ, quæ tot retro ante Lutherum seculis in ecclesia viguit, affectis probrum hoc impegerunt. Ac Erasini elogium: *in unâ paginâ Lutheri plus solidæ Theologiæ reperiri, quàm in toto aliquo Patre, reipsâ valuit.* Difficultatem potius textûs agnoverunt, conati meliora adinvenire. Nèc ignotum est, Luthero cordi non fuisse, imò ingratum, à suo nomine appellari alios. Nos tamen solum pati ut ab ipso denominemur, ceu persecutores Papistici nominant dissentientes à suâ sententiâ Lutheranos, id verò indignum est professo consortium doctrinæ Lutherane in Ecclesiâ Protestantium. Non patimur hoc seu toleramus velut probrum nûminis, aut

¶ XXX. d

s 3

so-

solum discretionis gratiâ sustinemus, ac si non probemus, parumque intersit, quis Lutherus, quove nomine Ecclesia nostra inter dissidentes hodiernum salvetur. Sed lubentes & è condicto nos prædicamus Lutheranos, doctrinæ ejusdem professores ac utinam genuinos, prudentes & stabiles. Sicut Electores, Principes, Proceres & Civitates, *Concordiæ Christianæ Præfat.* ipsum ceu *Heroem præstantissimum* venerantur, & scripta viri tuentur. Nec dubitant inclyta Septentrionis Regna, & gentes aliæ hoc titulo innotescere.

§. XLI. Quo jam isti nobiscum loco, quàm tuti ac ad Deum gratiosi fuerint, si, per censuram talem, Lutherus *ultima incuria, scribacitatis desultoria, adeò nugacitatis vilissima* reus est? Quid hominis vocamus *Polygraphum, Extemporaneum*, cui plura inepta accidunt, nisi *blateronem, einen Schmiermak*, qui quicquid in buccam venerit, effutiat, sonos sine mente spuat, & temeritate infanda irruat in divina oracula? Qui igitur nil minus quàm audiri, sed protenus abjici, præteriri & aboleri è conscientiâ hominum mereatur. Rectene igitur censori tali vapulant theologi, cum Luthero ac tot Patribus Doctisque celebratis sentire visis, oscitantix pudendæ aut servilitatis indignæ rei; unâ cum tot millibus eraditorum omnis ordinis, etiam adversariis, qui hæctenus in Lutheri scriptis diligentiam, acumen judiciumve mirati sunt? Quæ dein causâ nos tenuerit *Versionem* ejus *Biblicam* æstimandi, nec suspectandi magis; Imò universo *Reformationis* tam famosæ incepto hilum tribuendi, si *ferè omnia* ejus *scripta* (hisce enim motus tanti sunt excitati) *sunt Extemporanea*, quæ ad serium examen revocata, mox inter retrimenta nugivendula jure exulent, utpote *Polygraphi*, & qualis audiebat *Paulus Athenis, Spermologus*, cui nemo sanus sobriusve vel in transitu auscultaret? Quid jam non humani Viro *acerrimi* judicii, ut *Thuanus in elogio* censet, *Joh. Galvino* accidisse sciamus, absterrenti ejus *adversarios*,

C3

arios,

abbA

farios sibi conjunctissimos à rescriptionibus. ostentata Viri virtute pertremendâ in scribendo ut agendo? de quo *Epistola heic ad Bullingerum Edit. Genev. anno 1575.* legi meretur.

Audïo Lutherum tandem cum atroci invektivâ non tam in vos, quàm in nos omnes prorupuisse. Nunc vix audeo à vobis petere, ut taceatis; quia neque æquum est sic vexari immerentes, & illis negari sui purgandi locum: & statuerè difficile est, num id expediat. Sed hæc cupio vobis in mentem venire: quantus sit vir Lutherus, & quantis dotibus excellat, quantâ animi fortitudine & constantiâ, quantâ dextèritate, quantâ doctrinâ efficacîâ hæctenus ad profligandum Antichristi regnum & simul propagandam salutis doctrinam incubuerit. Sæpè dicere solitus sum: etiamsi me Diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut insignem DEI servum agnoscam: qui tamen, ut pollet eximîis virtutibus, ita magnis vitiis laboret. Hanc intemperiem, qua ubique ebullit, utinam magis frenare studuisset. Vehementiam autem, qua illi est ingenita, utinam in hostes veritatis semper contulisset, non etiam vibrasset in servos Domini. Utinam recognoscendis suis vitiis plus operæ dedisset. Plurimum illi obfuerunt Adulatores, cum ipse quoque naturâ ad sibi indulgendum nimis propensus esset. Nostrum tamen est sic reprehendere, quod in eo est malorum, ut præclaris illis donis aliquid concedamus. Hoc igitur primùm reputes, obsecro, cum tuis Collegis, cum primario Christi servo, cui multum debemus omnes, vobis esse negotium. Deinde nihil vos consilgendo profecturos, quàm ut lusum impis præbeat, ut non tam de nobis, quàm de Evangelio triumphent. Si mutuò nos proscindimus, plus satis nobis habent fidei. Cum autem uno consensu & ore uno prædicamus Christum, eos abutuntur ad fidem nobis derogandum, in quo plus quàm par sit nobis credunt. Hec potius inveni & cogitare velim, quam quid suâ intemperie promeritus sit Lutherus. Ne ergo nobis eveniat, quod denunciat Paulus, ut invicem mordendo nos & lacerando consumamur. Etiamsi ille nos provocaverit, abstinendum potius à certamine, quàm ut communi Ecclesiæ facturâ vulnus augeamus.

Adde

præcipuè artem heic ostentatam tot scriptores compilandi & embryones manuscriptos extrahendi, ad marginem pernumerandi Philologiam suam, ac *Indicem Expurgatorium* faciendi? Noster verò meliorum tam cupidus, si voti res esset, proreperet è sepulchro & sub censore inter tyrones Grammatices ferulam pateretur, dum *Polygraphia* & *Extemporalitatis* præcipitis vitium exueret. Quid jam præsidii superest seni, mortuo, indefenso, & prædamnato per tales, qui patiuntur sese ab ipso denominari: nisi ut ploret miser; & horribile *Decretum Censuræ* suppliciter deprecetur; *falsa, erronea, hæretica, temeraria, bonarum aurium offensiva scriptitasse*. Ergo per *carnificem, excoriatorem*, flammis ultricibus ceu februo sacro tradi, ne *Respublica Christiana detrimentum* ulterius patiatur.

§. XLIII. Tam bellam sibi prolem fratresque arrepsisse pridem Lutherus comperit, gemitve, qui oppido novelli, ac uno senem de ponte trudendi studio fervidi; ut sub ejus mensâ micæ legere, à fame ultimâ captant, vestigia laceffunt, ac virum, ceu omnis alphabeticæ ignarum, ad vulgus Teutonicum, cujus animam se verbo Dei pascere profitentur, scandalosè prostituunt. Savius è *deus* olim Ebraicos suos dentes *Versioni* Lutheri infigebat, totam everfurus, ut novum *idignum* mirabilem ostentaret, uti Columbum orbis alter, sed plagium tale Lutherus falsè ridebat.

§. XLIV. Lutheri *Extemporalitas* ad gustum talium comparari potest. Hi in conscribendis dictatis, corradendis notis, rotundandis periodis, unguës morficando auresque fricando, quod solent tyrones stili exercitiis, sese fatigare, adire lectorem, aucupari consilium, opem humiliter ambire, ut Disputationis Academicæ specimen prodeat: Sibi, quod in faba pueri, invenisse gratati, cum contradicere senibus, & tumentem molâ ventriculum liberare, visi sunt; *Elibum Jobicum* imitati. Viri verò & Magistri non est ut puerili anxietate in re præsentî palpitet. Is quem dicit

dicat Philosophus Intellectus speciem conceptam maturat & tenore uno luci dat, longè potentior scientiæ, nedum opinionis fabricis, qui multa cursitatione vix aliquo enituntur. *Nata* igitur Lutheri & spirantia agnosces scripta; aliis umbram tenuem, ac verè mortuam literam referentibus.

§. XLV. Hæc in transcurso notari ratio fuit ad censuram iniquam, ut moderationi posthac dato casu locus sit; contra quàm indigna moribus Ecclesiæ fugillatio & cavillatio suaserit: hæc non orta à Deo, illo modestiæ & venerationis erga suos ministros fideles & luminosos autore, sed à carne & mundo obtrectandi melioribus cupido. Nec conditum jam fuit nobis in sensus alios loco isti impactos scrutinium, quod non difficillimum eventu foret. Suffecerit constare posse, Lutherum & sententiæ asseclas, bonâ & salutari interpretatione ductos, non debuisse tam indignè haberi; Imò tantisper standum esse, cum ipso donec meliora, quàm iudex iste dicitavit, aliivè comminiscuntur Ecclesiæ proponantur. De *Statu* verò Regni *Formali* dein, Domino propitio, sic agemus ut Politia sacra à Christo per Apostolos instituta, & conservata, contra Monarchomachos DEI nov-antiquos, ad nostra tempora, utiliter patefcat. Spiritus Dei ducat omnes in veritatem plenariam & ipsum in uno quovis serenissimum ostendat!

Amen.

ΕΠΙ ΜΕΤΡΟΝ.

UT Elisæi votum *II. Reg. cap. II, v. 9.* ad optionem ab Elia in cælum levando datam, cordatius videtur Salomonæo *I. Reg. III.* ut *Duplicem Spiritum* quali iste eminuisse, obtineret. Sic duplicatio hæc abundantiam charismatum altero tanto majorem importat, ceu Lutherus & Osiander in *lit.*

D

b.



Uandò molunt alii fur-
fur, Mühlene, farinam
Tu molere ac nobis
Kimchius esse potes.
Lutheri genuinus amor, Zelo-
que probato
Dogmata profundes pectore
vera pio.
Gratia sic Domini cumulet do-
cumenta salutis,
Paveris ut curæ pignora læ-
ta probæ.

Digno favore Juveni in Ecclesie egre-
gium assurgenti gratatus addo

P R E S E S.



Urbis innotuit ubi fuit
fuit Mülhens, fannom
In notis, ac fons
Kinchinus esse potes.
Lutberit genuinus amor, Lalo-
que probato

Dogmata profundos pectoris
voti pio.
Gratia ac Domini cumulat do-
cumenta salutis
Pecunia in curia digniora la-
ta proba.

Dipno favor, innotuit in fabelis
Genuinus, ac fons
P R E F A



ED - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle
003 096 890

ULB Sachsen-Anhalt
Ausgegeben

datum: 2008




Sb.

D.

Reh. ✓

46
Juli





m. 6

DISSERTATIO THE
DE
REGNO IS
RESTAUR.
Ad Actor. Cap. 1.

QVAM
DIVINA ADSPIRAN
RECTORE MAGNIF
OPTUMO IUVENTVT
AC DOMI

DOM. VVILHELM
DUCE SAXONIE, IULIACI,
AC RELIC
PRÆSID
SVMME REVE

DN. PHILIPPO
S.S. THEOL. D PROF. PUBL. ORD.
SIST. DUC. SAX. AD B. VIRG. MA
TOTIUS UNIVERSITA
PATRONO, PRÆCEPTORE AC
OBSERVANTIE CULTU
IN ALMA SA
AD DIEM MAII A
publicæ disquisitioni

IOH. HENR. zur S
IENAE TYPIS NISIAN
HENRICVS BE

